



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Pauli Segneri Societatis Jesu Brevis Vitæ Historia
cum ejusdem Concordia Quietis & Laboris in Oratione,
Expositione in Psalmum Miserere, Considerationibus de
Inferno, Expositione Cantici ...**

Massei, Giuseppe

AUGUSTÆ Vindel. & DILINGÆ, 1707

VD18 12383155

§. LX. Sui contemptum passim venatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47773)

exposito, eo habitu, quo in Pœnitentium supplicatione prohibat. Aliquot abinde mensibus, rogatus à Nobilibus Genuensibus, rediit eodem Pater ad restaurandam Excursionem: cùm ejus oculos pictura illa subiit. Erubuit vehementer Pater, & cùm pridie quàm inde proficisceretur, loci Magistratus ad eum accessissent, gratias acturi, & omnia, quæ possent, delaturi obsequia, Pater omnium loco favorum (cùm priùs sponsonem extorsisset non negandi ipsi, quod peteret) id unum petiit, ut picturam illam abolerent. Quando concordibus Populorum vocibus vocabatur Pater Sanctus, & per compita, ac fora clamabatur: Quis vult emere Canticum Patris sancti? dum turbæ quantâ poterant submissione positus humi genibus eum venerabantur, cuncta hæc effectum in eo alium nullum producebant, quàm ut molestiam facefferent, & ipse talia factitantes increpando abstinere juberet.

§. LX.

Sui contemptum passim venatur.

MIra etiam fuit animi ejus libertas, quâ in cunctis suis actionibus utebatur, nihil unquam eorum occultans, quæ apud minùs prudentes aliquid de ejus æstimatione deterere poterant. Cùm corpore esset satis vasto magnisque tam mentis, quàm corporis laboribus animarum bono exhaustus, cibo opus illi erat copiosiore. Hanc ille necessitatem haud quaquam obtegebat, nec videri ulla ratione volebat severis se jejuniis macerare, sed palàm in aliorum oculos fumebat id quod reparandis viribus necessarium existimabat. Et cum aliquando cum Feminis nobilibus

bus Genuensibus colloqueretur, narravit iisdem, quàm commodè ac honorificè quodam loco esset habitus, quàmque se viro cuidam illustri obligatum agnosceret, qui tantis in caloribus de nivibus illi abundè prospexisset. Institerunt apud ipsum nonnulli, postremis Excursionum annis, ne ampliùs nudis per vias pedibus incederet, sed tum solùm poneret calceos, cùm jam loco sacris laboribus destinato propinquaret, omnibus his eodem semper responso obviabát. Avertat à me DEUS ejusmodi hypocrisin: toto itinere aut calceatus ibo, aut nudipes. Non semel tamen usvenit, ut, cùm nudis pedibus ad ipsas usque urbis alicujus portas accessisset, in ingressu subinde calceos resumeret, nisi fortè urbs illa Sacræ Excursionis destinata esset. Neque etiam refugit sejugi curru vehi, ut Genuæ, Mutinæ, & Parmæ ipsi evenit; sæpius tamen quàm uspiam Faventiæ, ubi Eminentissimus Rossettus hoc ipsi honoris exhibuit, qui tanquam æquus rerum ac virtutis æstimator hanc ejus talia commoda non aspernantis humanitatem virtuti tribuit, & in sermone cum aliis, laudibus celebravit. Nec aliter similem actum interpretatus est Sacer Anconæ Quæstor, qui cùm ab bibendum aliquando Patrem invitasset, is invitanti statim condixit, tam non imminutâ inde præclaræ virtutis existimatione, ut potiùs apud virum illum Religiosum multum augesceret.

§. LXI.

Insignis sui in hoc genere victoria.

Satis non fuit P. Paulo non quærere honores ac plausus, sed insuper multis omnino modis sui contemptum & despica-

Q 2